IN FUNERE EXCMI AC REUMI VIRI FRANCISCI DEL VIVO AD S...

Agostino Cappello



Respicite, quoniam non sibi soli laboravit, sed omnibus exquirentibus Disciplinam.

Eccl. c. XXXIII.

Ergone dum haec spectatissima Ecclesia suo viduata Parente ingemiscit, atque haec Sacerdotalis Cathedra, quae haud amplius vocem Pastoris sui, in doctrina in integritate in gravitate verbum sanum irreprehensibile proferentis, est auditura, conticescit: dum nonnisi lacrymas funeri, moestis prae tanta jactura animis, pia popularium turba, ut dignum erat, perfundit, nec nisi questubus luctuosis extrema grati animi atque obsequentis officia, cujuscumque coetus et ordinis homines, memoriae ac cineribus praeclarissimi viri Francisci Del Vivó, ad S. Ambrosii Curionis vigilantissimi, certatim rependunt: Ego mediis in litationibus, piaculis, precibus, hoc ipso in limine, ex hac ipsa veritatis Cathedra, quae orbata tanto Magistro est; vestro in conspectu, Excmi ac Revmi PP., quos tanti Collegae doctrina et praesentia jucundabat quammaxime atq exornabat; ante vestrum oculos, ornatissimi Sacerdotes, qui tanti Praesulis obitu contristati, justa pii-

ejus manibus parentalia persolvitis; demum in hac tanta Auditorum frequentia, qui omnes (ut videor) communis parentis casum effusis lacrymis defleturi accessere : Ego, inquam, verba proferre ausim, ac vestrum animos prae moestitudine dejectos, erigendos solandos fovendos aliquantisper ac recreandos quodammodo, orationis veluti suavitate, viribus licet impar, aggrediar ?...

Hoc sane munus mihi ex abrupto demandatum ne pertimescerem, fecere imprimis vestrum benignitas ac singularis humanitas : dein spectatissimi viri merita, quae jam in tuto posita, nemo sapiens non demiratur, quisque memorat, quisque extollit: quas sane laus ita debetur, ut vel silentio ea praeterire aequitas non patiatur, vel in iis exornandis numquam possit deficere quod commendetur. Tot enim tantaque praesto sunt ornamenta virtutis, quae sacerdotalem Francisci animum locupletabant : tot pietatis ac relligionis insignia quae imitanda post se reliquit exempla : tot doctrinae ac sapientiae, quibus inter caeteros praestabat, praeclara merita : tot tantique pro grege suo, cui, in partem solicitudinis adscitus, verbo et exemplo praeerat, exanthlati labores : tot denique in commune animarum bonum, Civitatis atque Dioecesis hujus emolumentum, juventutis in Ecclesiasticis studiis promovendae subsidium, curae solicitudinesque : ut ea omnia singillatim prosequi, neque orationis hujus fines, neque temporis angustiae patiantur : aliunde vero ea vel obiter attinge-

re, et dignum tanti viri memoria jure ac merito quisque pervideat, et plurimum dolori leniendo ex ejus obitu praeconcepto, levamen afferat et solatium. Quis enim nesciat, hoc unum esse prae coeteris quod nos de praestantissimorum virorum jactura contristatos solatur quammaxime ac fovet, nimirum: quod licet in iis quod erat mortale occubuit, id tamen quod erat coelitus datum mortis jacula non persensit animus nempe, fide, sapientia, virtute pollens, pietate denique ac religione exornatus: cujus sane memoria et numquam intercidet, et plurimum ad virtutem atque sapientiam exquirendam atque fovendam, et praestitit semper atq. praestabit.

Age ergo: si fletum cohibere in tanto obitu humanitas atque justitia non patitur, misceatur saltem religiosi gaudii lacrymis, *habet* enim, ut ait Ambrosius, *et laetitia lacrymas suas*. Sinamus mortuos sepelire mortuos suos: nos dignum, super exanimi Sacerdotis Francisci Del Vivo, Ecclesiae hujus, nostrique Coetus ornamenti conspicui, funereum tumulum, virtutum ejus laudibus tributum solvamus. Quid plura memorem Auditores? praesto est laus Sapientiae ore prolata, ac toto vitae suae cursu tam laudabiliter expleto a Francisco promerita: *Respicite, quoniam non sibi soli laboravit sed omnibus exquirentibus Disciplinam*. Totum quod vixit non sibi sed caeteris vixit: haud melius tamen sibi vivere potuit, qui sapientia, virtute, zelo Divini honoris atque animarum procurandae salutis, ita sibi coeterisque vixit ut bene beateque viveret. Attendite.

termittam, quod magis laudi verti debet Francisco, quod etsi humili loco natus Emporii in Etruria anno rep. sal. M. DCC. XLVI., nobilitatem quam ex genere ortu non hausit, ingenio, scientia, moribus, munere, gradu, longe promeruit et adeptus est: et liberam atque ingenuam quam nactus est conditionem, magis quam a natura acceperit, meritorum vi copia atq praestantia reddidit illustriorem. En videlicet veri nominis nobilitatem, quam qui despiciunt, ipsi se ignobiliores omnibus hominibus portendunt, qui vero assequuntur, inter praestantes viros merito habentur et sunt. Nasci enim in magno culmine, Casus fortasse (ut ajunt) verius dicerem, Providentiae est: ad magnum autem virtutis culmen atque Sapientiae fastigium provehi studio atq labore, id profecto in summo honore et habitum semper est, et semper habendum.

Ecquis non merito suspicetur juvenem, qui praestantiorem genere indolem praeseferens, si quid honestum, si quid decorum, si quid laude dignum, si quid Majorum exemplis rite probatum, si quid Relligioni consentaneum, si quid virtuti consonum, id unum sentiat, id unum diligat, id unum assequi totis viribus atque lacertis contendat? qui contemptis mundani honoris illecebris, soli Deo placere cupiens, vitae primordia per omnes virtutis gradus ad perfectionem exerceat? qui, neglectis omnibus, quae oblectamenta vulgo dicuntur aetatis, maxima autem sunt impedimenta virtutis, vitae semitas atque Sapientiae fidenter arripiat?

Mirum! si qui juvenem Francisco prudentiorem atque studiosiorem demirari potuerint, qui scientiis addiscendis, dum sedulam navabat operam Florentiae, in hac videlicet inclyta Scientiarum Artiumque Parente et Altrice, sub tutela avunculi sui Amadei (qui eum domi suae receptum summa diligentia in disciplinis omnibus excolendum curabat) ita studiis vacabat adsidue, ut ad Pietatis ac Relligionis opera impensis viribus adlaboraret. Ingenuam sane Iuvenis indolem et ad majora capessenda comparatam noverunt profecto et admirati sunt, quotquot habuit tum in Ecclesiasticis Exercitiis, quibus proludebat, seu vitae Magistros seu rectores et gubernatores ac vocationis suae judices et consiliarios, tum in Disciplinis omnibus addiscendis seu Doctores seu contubernales in Florentino Clericorum Gymnasio, sub pientissimo ac sanct. mem. Antistite Francisco Cajetano Incontrio, qui eum plurimum et diligebat, et plurimum Ecclesiae huic adjumento fore aliquando iuvenem lectissimum auspicabatur, si ad sacrum Presbyteratus Ordinem, ut erat in votis ejus, virtutibus jam maturescentem proveheret. Quod tamen ut ea qua par est dignitate, scientia, virtute iniret Franciscus et laudabiliter exerceret, ad majorem sapientiae copiam sibi in suorum proximorum utilitatem comparandam, in Alma Pisana Academia, juris utriusque Lauream et conquisivit et promeruit, et vita et moribus longe illustravit. In qua sane diuturna ac profunda exercitatione, quid aliud in votis habuit Fran-

ciscus, quid aliud egit, quid aliud quaesivit, quam, juxta illud Apostoli monitum, sibi et doctrinae attendere; quo emenso alacriter Studiorum curriculo, omnique jugi tum humanarum tum divinarum scientiarum thesauro sibi comparato, ad altiora atque majora sapientiae ac dignitatis culmina viam sibi sterneret, adytum panderet, ingenio ac viribus properaret?

Et recte quidem, Auditores. Noverat siquidem Franciscus alteque animo infixum gestabat: Sacerdotii gradum, gradum esse luminis, sapientiae, ac virtutis, ad quem si neminem nisi vocatum licet accedere nemini certe vocato aliunde viam sibi aperire est, quam moribus, scentia, doctrina, Divina praesertim atque Ecclesiastica eruditione referta, qua et Legem Domini valeat ipse internoscere, et disciplinam doctrinae suae omnibus exquirentibus palam facere atque explanare. Noverat et bene noverat, Sacerdotale onus Angelicis quidem humeris importabile, onus esse caritatis et laboris, ad quod quisque vocatus, ut legatione rite fungatur in iis quae sunt ad Deum, praestare debet quam maxime ut nedum dona et sacrificia offerat pro peccatis, sed in id etiam totus incumbat ut in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, adsidue adlaboret: nec sibi tantum contentus vivere, proximorum quoque saluti se devovere Ecclesiaeque bono enixis viribus cooperari satagat atq. perficiat. Noverat ministerium lucis atq. aedificationis quo novae legis sacerdotes novo veluti fulgore coruscant, in eo esse positum, ut doctrinae inventus thesau-

rus haud abscondatur ut servetur, sed ut Sacerdos, veluti petra salis in populo, fidelium mentes condire, Divinaeq. Sapientiae lumine quo ipse perfunditur, et valeat et velit illustrare: angelicis quidem moribus collucentibus ut hi qui ignorant et errant redarguantur, deinde doctrina atque sapientia cum zelo charitatis ita conjuncta et adlaborante ut is qui ex adverso est vereatur, nullus adsit qui non ad virtutem atque pietatem aedificetur.

Hoc sane si nosset, et bene nosset Franciscus, vel ex eo pateat, Auditores, quod ad dignitatis culmen assumptus, totus in sanctis exequendis muneribus, totus in difficillimis exercendis officiis, totus in comparandis praeclaris virtutum meritis, omniq. fructuum uberrima segete reportanda ex duplicis sacerdotalis talenti negotiatione sibi concredita, adlaboravit. Quid hic persequar vitae ejus sanctimoniam, graves et bene compositos mores, et ad normam Ecclesiasticae regulae ita conformatos, ut merito quisque eum suspicari, vereri, in deliciis habere, eumque studio prosequi, cultuque prorsus non vulgari et communi afficere sponte gestiret? Quid memorem qua sanctitate didicisset vas suum possidere in sanctificatione et honore, et puras levare manus, et incruenti Sacrificii hostiam quotidie libare atque offerre, qua Sacerdotalis Dignitas et exsurgit, et nutritur, et roboratur; et crescit? Quid orationis adsiduum studium, ac Fidei veritatum profunda meditatio, qua tantum in coeteris virtutibus profecit, eos uberes edidit fructus, ut nil nisi grave, nil nisi mode-

ratum, nil nisi decorum in ejus vel opere vel sermone portenderetur? Vos testes advoco qui eum demirati estis: nos ipsi testemur qui ejus vitae semitas, veluti e vestigio, inspeximus et contemplati sumus. Atque hinc relligionis efficax zelus, hinc in Proximum effusa charitas, hinc morum ad exemplum composita gravitas, et humanitas, et prudentia, et non fucata animi simplicitas, cum doctrinae laude atque sapientiae amore conjuncta. Sed quid plura nunc afferam, cum et reliquae hujusce Orationis partes, recensendis majoribus ejus virtutibus sint destinatae?

Quid enim Auditores? Tanta virtutum copia, ac disciplinarum omnium segete uberrima cumulatus Franciscus, adhuc sub modio lucerna lucens delitesceret? Id quidem secum in animo volutabat, id expetebat sinceris votis, id ea qua praestabat humilitate et modestia solicite curabat Franciscus: rite perpendens quanti sit in apertum prodire et super candelabrum Ecclesiae poni ut luceas omnibus qui in domo sunt: simulque revolvens quod coelestis desiderii studium custodire non sufficit qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. At secus ac sibi proposuerat, divinitus parabatur. Privatam hominis vitam ita prudenter actam, adeo sapienter excultam, tam pie sancteque ad virtutem exercitam, majora ac clariora in publicum edenda gesta, muniaque laudabiliora capessenda quid ni sequerentur et cumularent?

Apposite illud in promptu venit quod in sapientialibus habet Sermo divinus: „si Dominus

„ magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum, et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiae suae: ipse diriget consilium ejus et disciplinam, et in absconditis Parabolarum conversabitur. In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu Praesidis apparebit „. Appareat inquam in conspectu Praesidis Franciscus, et grave onus docendi atque explanandi sacros Ecclesiae Canones, piae juventuti in laudatissimo Clericorum Florentino Ascoeterio informandae, suscipiat, digne pertractet, sancte exerceat, profundaque qua pollet eloquii vi omnigenaque eruditione perficiat. Quid enim memorem multiplicem Ecclesiasticae Historiae suppellectilem qua Dogmatum morumque scientiam, Iurisque Ecclesiastici Prudentiam, et rerum verborumque copia, et diserta atque erudita oratione exornabat, explanabat quam facile atque abunde tradebat, simul ac profunda qua praestabat doctrina, implicatissimas de difficillimis rebus quaestiones ac controversias enodabat? Plaudere omnes, omnes mirari: solus ipse sibi despectus, ut qui de se quam humillime sentiret, nihilque aliud prae oculis adsidue versaret quam ut attentius in edocendis juvenibus incumberet, quo vel sic Ecclesiae bono atque incremento, quod unice ei erat in votis, quammaxime adlaboraret. Eo consilio fretus, difficile dictu est, quot et quam uberes retulerit de tot laboribus fructus in tot tantisque quos in Scientia Sanctorum instruxit et informavit ex frequentissimis auditoribus, quos in Sacrorum

Canonum Disciplina erudivit, Ecclesiaeq, in juribus et vidicandis et tutandis strenuos effecit, ac veluti in palaestra exercere curavit. Haud melius certe demandato sibi muneri satisfecisse poterat Franciscus, qui dum suorum Auditorum obsequium, amorem et benevolentiam sibi comparabat, Sapientissimi Antistitis aestimationem, communem omnium doctorum virorum plausum, nostrique Collegii vota (qui eum plenis suffragiis ab anno 1774. sibi adsciverat et cooptaverat socium) digne pro meritis possidebat.

Eximiam viri doctrinam, morigeramque vitae rationem nuperus Metropolitanae hujus Ecclesiae Decessor, numquam satis digne laudandus, Antonius Martinius, eum ut ut reluctantem inter primores sui Presbyterii Cardines queis Cura animarum (difficile onus) est demandata, assumpsit, atque ad hanc S. Ambrosii spectatissimam Ecclesiam gregemque multiplicem regendum et gubernandum anno 1785. decrevit, probavit, constituit. Quin tanta erat doctrinae fama ac probitatis opinio qua apud Doctiss. Antistitem fruebatur Franciscus, ut eum in Duodecemviros adlectum qui Sacris Initiandorum Ordinibus praesunt examinum Iudiciis, voluerit quoque inter Operum edendorum Censores adnumerari: saepe etiam in difficillimis maximarum rerum discriminibus sibi a consiliis adlegerit, vocaverit, adsciverit: saepissime coenobiis etiam Virginum dicatarum praefecerit, iterumq. donaverit. Tanti videlicet fecerat egregium virum Antistes adeo in discernendis

praeclaris quibuslibet sapiens, atque in seligendis suis administris prudens cautusque. Nec eum fefellit opinio, aut praeconcepta in hujsce ecclesiae commune commodum atque incrementum, elusit spes. Vix enim Franciscus novi muneris officio fungi ex obedientia, coepit, ac statim (ut dignum decet Sacerdotem qui sal Terrae doctrinae et vitae splendore evasit) Fidelium mentes condire, populum regere atque docere. animarum lucra quaerere, et verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendere, sui muneris fecit, assidue curavit, enixe peregit; id unum prae oculis habens ut non quae sua essent, sed quae Iesu Cristi quaereret; idque unum solicite cupiens, ut tamquam dignus Christi Minister et dispensator fidelis inveniretur et esset.

Sane ni angustiae temporis, et brevitatis statutae amor me detinerent, Auditores, late hic campus orationi meae patesceret, quo Francisci indefessum in animabus curandis studium, in peccatoribus ad poenitentiam convertendis laborem, in bonis omnibus verbo et exmplo iuvandis promovendisque ad virtutem, studium vobis obtexerem. Id unum sufficiat ante vestrum oculos ponere qui eum e vestigio admirati estis, sanctamque ejus jucundamque conversationem atque morigeram vitae rationem inspexisitis: quod nullum fecit finem docendi, nulla ei laborum requies, nullum pascendi gregis, quem in partem solicitudinis gubernabat, curae et laboris incommodum quod non aequa mente solum, sed alaeri promptoque animo ad sene-

etam usque, scilicet quamdiu vixit, pertulerit sustinueritque.

Id unum indoluit, quod, teterrima tempestate illa qua res humanae prorsus dejectae divinaque Iura omnino inter nos confusa atque permixta susdeque versa ingemuit Orbis pene universus, Gallorum copiis Italiam undique ferro vastantibus, pro summa calamitate a grege suo avulsus, haud certe sine magno vitae discrimine atque incommodo; Gallias obses petere compulsus est anno 1799., quo tempore et plurimi inter primores Urbis et Orbis e suis sedibus sunt exturbati, atque in Fidei, ut videtur, et Relligionis testimonium, in remotas cruentasque Terras procul acti et projecti. Nec certe aliud ingemuit quam Relligionis quod undique parabatur exitium; sui populi cladem, suique gregis, cujus pastor factus ex animo, saluti inhiabat, perniciem atq. ruinam.

At Deus Omnipotens qui suorum labores, nec consolationis expertes dimittit, nec sinit esse perpetuos, et vota pii Exulis benigne excepit, et Ecclesiae suae utique bono, sui gregis solatio, bonorum omnium gratulationibus, reducem Franciscum nostrum donavit atq. concessit. Nova interim insperataque aderat nostris jactatis finibus pax atque tranquillitas, novaque ad Etruriae regimen Regum progenies properabat. Hinc nova Francisco honorum copia et laborum haud exigui nominis exercitatio, quae virum virtute ac meritis cumulatum, novis iisque peculiaribus honoris atque observantiae characteribus muneribusque insigniret.

Quaeritur Ludovico Hisp. Inf. tunc temporis Etruriae Rege nobis dato, qui ad Confessiones excipiendas, ad ingenuum sanctissimumque Principem in Scientia Sanctorum provehendum, sit praeficiendus. Franciscus interea ad tantum munus electus, animum nimis ab humanis honoribus abhorrentem et gerebat et tenuit semper inviolabiliter et servavit. Hinc factum, ut mediis licet actus in Regiae Aulae fulgoribus, licet inter D. Stephani Equites ex obedientia cooptatus, novisq. insignitus honoribus, eum tamen omnes ea humilitatis laude ac vitae modestissimae ratione, quam nunquam dimisit pollentem demirati sunt universi, ut vel sic magis dignum se honoribus praeberet.

Sanctum hoc ministerium erga piissimum Regem eo consilio fretus et suscepit et tenuit Franciscus ad obitum usque Principis Optimi, ut vel magis posset Ecclesiae rebus, ea tempestate nimium jactatis, suis consiliis suaque ope succurrere.

Heu! tamen vanam mortalium spem! heu nimis citam atque praeproperam rerum humanarum vicissitudinem! Rursum bellorum strepitus, arma, discordiae: rursum novis jactata fluctibus Ecclesiae Navis periclitatur conteri, ni summa prudentia, qui in specula positi gregem vel in toto vel in parte regunt, se gerant. Quo se vertat Franciscus, quid agat, quid proferat, cum sanctissimo Florentinae Ecclesiae Praesule Antonio Martinio morte intercepto ad caeteras calamitates illud accessit quod universali Ecclesiae capite Pio Papa VII, ab Apostolica sede avulso,

et procul a suis finibus exturbato, magnis tempestatum fluctibus Ecclesia ageretur, ac poene in apertum impelleretur exitium, inimicorum vi atque astutia, Ecclesiasticae Auctoritatis Iura violare tentante, ac per fas et nefas Regulas omnes Ecclesiasticas subvertente? Quo se vertat Franciscus!

Ne quaeso ulla ejus nomini suspicio erroris, aut fraudolentiae, vel adulationis subrepat. Longaevam viri gravitatem, inimici ipsi Relligionis verentur, boni omnes suspicantur. Ipse intentatus dimissus est gregi suo propius incumbere, atque intra Ecclesiae suae fines silentii providam certe rationem tenere. Sperabat siquidem fore, ut con atibus inimicorum Christi prudentia, oratione, gemitibus, magis quam armis elusis, fractis, contritis, Ecclesia sua tandem pace redonaretur, et Florentinae huic Cathedrae sua tandem lux affulgeret.

Affulsit tandem, et optato nobis rerum ordine redeunte, Ecclesiae pace post tot discrimina rerum foelici omine restituta, Immortali Pio Papa VII. in Petri Solio, triumphali reditu, revertente, Etruriae votis reddito Ferdinando III. Austriaco Opt. Clem. atque in avito Throno foeliciter regnante: tandem in Zenobii, Antonini, Andreae Cathedra vigilantissimus Pastor inlatus est Petrus Franciscus Moralius, qui virtutes doctrinamque Francisci nostri perspectas et diu probatas pernoscens, eum ut olim Incontrius Martiniusque, a consiliis habuit ac Clericorum in SS. Ordinibus initiandorum, nec non Presbyterorum ad animarum curam eligendorum exa-

mini interesse voluit, et saepe saepius adscivit.

At Deus fideli suo Seni pro tot in ejus gloriam exanthlatis laboribus requiem jam disposuerat, et diro licet, at summa animi fortitudine perpesso, morbo correptum, eum remuneraturus, de carnis ergastulo liberat. Flere omnes, Patrem, Pastorem, pauperum praesidium sublatum communi moesta voce, undique ingeminare in hac inopinata tanti capitis extinctione. Extinctionem? Ah! subito dolori vox ista ignoscatur. Nonne potius in clariorem atque indeficientem commutanda splendorem haec lux est? Qui enim non sibi soli laboravit, sed omnibus exquirentibus disciplinam, quis dubitet, non mercedem laborum a Domino suscepturum, eumque qui Ecclesiam Dei doctrina et meritis illustravit, non in perpetuas quoque aeternitates effulsurum?

Salve igitur, Senex sanctissime, qui aliquando securus, laborum tuorum praemia retuleris. Te patre amantissimum tui populares, te Magistrum optimum quotquot in rerum Divinarum Scientia ac morum disciplina informasti Iuvenes, te Collegam meritissimum hujus almae Universitatis Doctores conclamant, praedicant, extollunt: te amici omnes in desiderio, te pauperes in voto, te cuncta Civitas habet in memoria et in laude. Vale atque iterum vale. Te ☧. habeat.

Super Tumulum

A ☧ Ω

FRANCISCO · IOSEPHI · FILIO · DEL · VIVO
DOMO · EMPOLIA · LOCO · HONESTO
IURICONSULTO · ET · CURIONI
AD · HOC · DIVI · AMBROSII · TEMPLUM
A · F · C · INCONTRIO · A · MARTINIO · P · F · MORALIO
FLORENTINIS · PONTIFICIBUS
SIBI · DOCTRINA · PIETATE · DEVINCTIS
IN · CONSULTORUM · CONCILIUM · ET · DUODECEMVIROS
SACRIS · INITIATIS · PROBANDIS · COOPTATO
COLLEGIO · RERUM · DIVINARUM · DOCTORUM · FLORENTIAE
NEC · NON · COLUMBARIAE · SOCIETATI · ADSCRIPTO
OBSIDI · TEMPORUM · ACERBITATE · GALLIA · PERAGRATA
HISPANIA · VERO · SACRIS · EXPIATORIIS · IN · AULA · PRAEPOSITO
A · LUDOVICO · HISP · INF · ETRURIAE · REGE
E · VITA · EXC · XIV · KAL · JUN · ANNI · MDCCCXVII · AET · SUAE · LXX.
CAJETANUS · DEL · VIVO · JOSEPHUS · PAGANIUS · TESTAMENTI · CURATORES
MARIANUS · NEPOS · EX · FRATRE · HAERES · P.